

NVMMVS CASTRENSIS

LAZARI SCHWENDII BAR'ONIS

in Hohenlandspurg: Cæsarei exercitus, in Ungariâ &
Transylvaniâ, summi Præfecti: cusus re-
bus præclarè contra Turcas ge-
stis: Anno Christi

1565.



Postquam Transylvanus violatâ pace Zatmarum oc-
cupasset: Lazarus Schwendius vir Illustris: consi-
lio, vigilantia, fortitudine, disciplinâ militari, nomi-
nis denique celebritate inclytus, Cæsarianis copiis
præficitur: summamque rerum agendarum pote-
statem nactus, castellis cæteris oppidisque relictis,
Tockaium primò adoritur: quam arcem naturâ &
arte satis munitam, Franciscus Nemethius, non
contemnendo præsidio, tum temporis tenebat. Op-
pugnatur castrum acerrimè, tertiâque statim verberatione (posteaquam
Nemethius ictu glandis occubuisset) deditione capitur, ingenti rerum om-
nium copiâ ibidem repertâ. Utendum fortunæ successuratus pergit He-
ros laudatissimus: Zathmaram, Zèrentium, Erdeudam, Kuvaram, Sende-
dereviam, aliaque insignia loca prospero victoriæ cursu expugnat. Cæte-
rùm symbolo hoc numismatico virtus quid possit, infractusq; viri fortis animus decla-
rat. Haud secus enim atq; Aetna mons Sicilia, ignem suum favillasq; longè lateque
proijcit: nec tamen ejaculatione ejusmodi assiduâ consumitur: sic virtus (bellica in pri-
mis ac militaris) & lucet in tenebris, splendetq; per se semper: & rebus in adversis il-
la saepè durat: non naufragio, non incendio amittitur: non tempestatum,
non temporum permutatione mutatur: egrescere
potest: emori non potest.

Author.